

expectat, quasi inde experturus, an Deus sit potens, aut bonus, &c. quæ quidem erit tentatio expressa, & formalis, si adsit expressa, & formalis voluntas experiendi Dei potentiam; interpretativa vero, si solum ob expectationem solitarii influxus causæ primæ rejiciantur omnes causæ secundæ. Hæc apud Theologos communia sunt: inter quos speciatim videndus Eximus Doctor, qui (tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 2. & 3.) de peccato temptationis Dei optimè, & fusè disserit.

44 His positis dico 1. falsum est regulariter loquendo, quod Vindex asserit num. 36. Nempè renuentem medicamenta in gravi morbo, committere peccatum lethale temptationis Dei. Probatur. Quia, regulariter loquendo, dum infirmi medicamenta refugiunt, id agunt, existimantes morbum solo beneficio naturæ superandum: at hoc ipso non tentant Deum: ergo. Probo minorem: Nam hoc ipso non spectant salutem à solo Deo, rejectis omnibus causis secundis; sed potius beneficium alicujus causæ secundæ, scilicet propriæ complexionis, aut naturæ admittunt, potiusque propriæ naturæ virtutem, quam Dei potentiam experiencingam suscipiunt: ergo.

45 Similiter nec tentat Deum, qui medicamenta respuit, quia vult pati infirmitatem, ex quocumque motivo, sive honesto, sive vitioso id faciat, aut quia vult mori; quamvis alijs imprudenter agat, & peccet. Peccabit, inquam, contra charitatem, aliamve virtutem, non vero peccato temptationis contra Religionem, cum non intendat experiri Deum, querendo ab eo sanitatem; quinimo intendit morbo succumbere. Ita communiter Theologi.

46 Sed dices Div. Thom. 2. 2. quæst. 97. art. 1. docet: *Quod quasi interpretativè Deum tentat, qui etsi non intendit experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit, vel facit, quod ad nihil aliud est utile, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem, vel cognitionem.* Sed abhorrens Medicinam in casibus propositis, aliquid facit, quod ad nihil aliud est utile, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem: ergo saltem interpretativè tentat Deum.

Res-

47 Respondet Eximus Doctor loco citato dictum Divi Thomæ non esse accipiendum purè negativè: sed subintellegendum in taliter operante aliquem respectum ad Deum, etiam ex intentione operantis, tanquam se solo operaturum, optatum effectum. Sic etiam Lésius, Laiman, Bonacina, & alii. §. VI.

48 **D**Ico 2. Nec contra Religionem, nec contra charitatem peccat, qui Medicinam renuit, prudenter existimans morbum sola virtute naturæ superandum. Patet, quia prudenter committit naturæ morbum, pro quo expugnando prudenter credit naturam omnino sufficere.

49 **D**Ico 3. Etiamsi morbus sit suaptè natura lethalis, si æger invincibiliter, quamvis erroneè, judicet à natura superandum: non peccat medicamenta rejiciendo. Patet: quia invincibilis error eum à peccato excusat.

50 **D**Ico 4. Qui in gravi morbo constitutus dubius habet: plus ne nocimenti ab applicatione remedium timendum, quam auxilium sperandum, nec potest dubium deponere, nullatenus peccat, si, medicamentis rejectis, se Deo, & naturæ, aut succumbente natura, soli Deo committat. Patet: quia æquale utrinque periculum imminet, ac proinde non majus discrimen obit medicamenta respuens, quam admittens. Imò prudenter aget, si rejecto dubio, & periculo Medicinæ auxilio, ad divinam opem recurrit: juxta illud (Paralip. 2. cap. 20.): *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Sed infirmus in tali casu ignorat quid agere debeat; ergo. Limitanda est conclusio, si, omisso medicamento dubio, nulla spes evadendi remaneat: præstat enim anceps remedium experiri, quam certæ morti se tradere.

*missus est, quod non solitus ex custodice, sed circa ex officiis.*

**D**Ico 5. Si æger probabilius judicet Medicum, aut quia artis imperitum, aut quia in agendo præcipitem, aut quia remediorum congestorem, nocitum, quam juvaturum, non modo non peccat Medicum non admittendo, quin potius peccat si admittat. Ratio est: quia tenetur, quam melius possit, propriæ vitæ conservationi prospicere; at in hypothesi facta melius prospicit Medicum rejiciendo, quam admittendo, utpote à quo probabilius nocumentum, quam juvamen expectat: ergo. Confirmatur ex doctissimo Medico Paulo Zachia (Quæst. Med. leg. lib. 4. tit. 2. quæst. 3. num. 11.) asserente melius esse omnino Medico carere, quam Medicum malum admittere, his verbis: *Præstat Medicum non habere, quam malum habere.* Doleo tamen, quod mali Medici etiam non vocati adsunt, etiam rejecti insistunt:

*Sponte sua properant, labor est inhibere volantes.*

**D**Ico 6. Si æger, in periculo morbo constitutus, spem conceptam habeat de auxilio à Medico præstando, regulariter loquendo tenetur ipsum admittere, eique in remediorum applicatione obedientiam exhibere. Hæc conclusio probatur eodem modo, quo præcedens: quia nempe tenetur, quam melius possit, propriæ saluti consudere. Dixi regulariter loquendo: Nam ob magnum aliquod bonum potest quis à medicamentis, etiam in extremo vitæ discriminé, abstinere. Sic Carthusiani licet à carnibus abstinent, imò juxta probabilissimam sententiam tenentur, etiam attestante Medico earum esum esse ad vitæ conservationem necessarium. Sic etiam Moniales, clausuram retinent, quanquam Medicus, sine mutatione loci, & aeris, de curatione desperet. Utrumque scilicet ob bonum regularis observantia. Ubi præstans aliquod bonum non intercedit, tenetur æger medicamentum, quod profuturum existimat, adhibere; idque si sit persona utilis Reipublicæ, Communitati, aut Familiæ, non solum ex charitate, sed etiam ex justitia.

**D**Ico 7. Posito casu, quod æger nec veretur in dubio positivo, nec valeat formare determinatum judicium circa aptitudinem, ineptitudinemve hujus Medicis in particulari, ejus obligatio, aut immunitas à Medico vocando petenda est ex judicio, quod habet circa Medicinam, & Medicos generatim, præsenti statu Medicinæ considerato. Igitur si pensata incertitudine, & difficultate Medicæ artis, judicet Medicos, prout nunc se res habet, plerumque carere Doctrina, cæterisque dotibus pro ea rite exercenda requisitis, ac proinde plures obesse, quam prodesse, nulla tenebitur lege ad Medicum adhibendum, nisi morbus adeo sit urgens, ut sine Medicinæ præsidio mors inevitabilis, aut ferè inevitabilis censeatur: in his enim angustiis adest obligatio advocandi quemcumque Medicum obvium.

54 Si autem ex me quæras, sit ne aliud judicium prudens? Solum respondebo, eam fuisse opinionem aliquot eximiorum Virorum: Divus Bernardus scribens ad Monachos Sancti Anastasii: (epist. 345.) eos à Medicis advocandis dehortatur. Ubi inter alia: *propterea (inquit) minime competit Religioni vestræ medicinas querere corporales; sed nec expedit saluti.* Et paulò infra: *Species emere, querere Medicos, accipere potiones, indecens est Religioni vestræ.* En Bernardum asserentem non expedire saluti Medicinas corporales, ac proinde judicantem Medicos plerumque errare: nam si non errent, non potest, non remedium præscriptum in morbis curabilibus prodesse. Hugo Cardinalis in cap. 10. Lucæ ait: *Medici infirmos spoliant pecunia, & occidunt, quia magna salario accipiunt, & sæpissime nihil prosunt, imò aliquando obsunt* (id intelligas velim de idiotis, & tumultuaris Medicis). Philippus Tertius Hispaniarum Rex à Viris zelo, & doctrina præstantibus edocitus, in Lege supra allegata, autumat Medicos doctos in adeo exiguum numerum redactos, ut periculum sit, ne iis ipsa Regia Persona careat. Id ipsum præstantes Medici fatentur. Magnus Hippocrates de Vet. Med. *Vehementer (inquit)*

quit) laudaverim bunc Medicum, qui parum peccet. Ergo rarus ille Medicus, qui parum peccat: non enim vehementibus laudibus extolli dignus est, nisi rarus in arte: ergo cæteri longe majori numero multum peccant: vidimus supra Cardanum asserentem, quod complures ab indoctis Medicis longè occiduntur, alioquin victuri; quam morituri ab eruditis salventur: statimque subdit: Timeo ne magno malo, potius quam bono, ut pleraque alia mala, mortalibus Medicina accesserit.

55 Dices: commendat Scriptura Sacra Medicinam, commendant Augustinus, & Basilius, Theologi monent vocandos pro morbis pellendis Medicos. Respondeo, quod nihil horum ignorabat Divus Bernardus, & tamen asserit, quod medicinas querere corporales non expedit saluti; insuper quod Medicos vocare, indecens est Monasticæ Religiositati: proinde in ea erat opinione, quod non tenemur ex lege charitatis ad Medicos vocandos: alias id non indecens esset, sed decentissimum. Dicendum ergo, quod Scriptura loquitur de vera Medicina, & Medicis propriè talibus; Bernardus verò de Medicina, ut ex ignorantia hominum depravata, & corrupta. Corruptio quidem optimi pessima. Unde quantum illa utilis, & necessaria; tam hæc inutilis, & noxia. Patres, & Theologi Medicinam probant præcisivè ab imperitia vulgarium Medicorum, aut sine reflexione ad illam; Bernardus, Hugo Cardinalis, & alii Medicinam, ut sic contractam, & sub hac reflexione rejiciunt.

56 Existimo tamen , etiam præsenti statu Medicinæ inspecto hanc doctrinam aliquantulum temperandam ; nec ea fiducia in Medicis collocanda , quam ipsi imperiti Medici postulant , & rustici præstant : nec ea diffidentia , quæ ad extremum vergit. *Medio tutissimus ibis.* Præ oculis tamen semper habendum paucos esse Medicos verè sapientes ; plurimos imperitos. Certè Ars longa , & difficillima est , pro qua comparanda , & ritè exercenda ingens studium , subtilissimum ingenium , consummata prudentia , & exacta probitas requiruntur. Hæc omnia simul in paucissimis inveniuntur.

57 Theologi Morales, dum imponunt infirmo obligationem consulendi Medicum, loquuntur ex suppositione, quod Medicus tales se præstet, qualis ab ipsis Theologis Moralibus exigitur, seu quod operetur juxta regulas ab ipsis præscriptas: quarum prima, & maxima est, quod is, qui non satis est artis peritus, sub gravi culpa tenetur ad ejus exercitium omittendum, nec potest alias à Confessario absolvvi. Secunda, quod dum ob ejus inscitiam, aut incuriam augescit ægritudo, aut perit æger, tenetur ad restitutionem damno illato parem. Tertia, quod non tot ægros invisendos suscipiat, ut ei pro explorandis accuratissimè morbis, & evolvendis sedulò libris, debitum tempus eripiant. Quarta, quod nunquam, nisi in extremo discrimine, præscribat remedium, de quo probabile est, quod graviter noceat, quamquam probabilius, quod proposit. Hæc omnia sub reatu culpæ lethalis obligant. Viderit Orbis, an, & quantum hujusmodi regulis se attemperent vulgares Medici.

58 **D**enique dico : In morbis levibus , & quos ipse  
æger sæpissimè in se , vel in aliis expertes pe-  
riculi notavit , consultius est à Medicis , præcipue tumul-  
tuariis , advocandis abstinere. Superfluum enim est opera  
artis quærere , ubi , teste experientia , sufficit sibi ipsa  
natura.

59 Dices : aliquando gravis aliqua ægritudo sub specie levis morbi delitescit , aut morbus , qui initio levis est , crescit in magnum , ut Vertigo in Epilepsiam , aut Apoplexiām . Respondeo primo , quod in fallacibus morbis , & ex occulto tendentibus insidias , multo frequentius decipitur Medicus , si non sit expertissimus , quam ægrotus : ille enim tantum observat externa signa , quæ parum mali præseferunt ; hic verò sæpè quadam interna sensatione , licet confusa , & ferè inexplicabili , admonetur graviorem in latibulis hostem hospitari . Id quotidiana experientia com- monstrat.

60 Respondeo secundò, quod regulæ generales non sta-  
Cc 4 tuun-

tuuntur pro casibus extraordinariis: accidit forsitan aliquando id quod objectio proponit; verum multa pluries accidit morbum levem, ex inscita Medici, & indebita remediorum applicatione, fieri gravem. Utrinque ergo, sive in levibus morbis Medicum ex his vulgaribus advokes, sive renas, periculum imminet; sed illinc profecto majus. Nec ego vertiginem, quæ in epilepsiam, apoplexiām degenere apta est, levem morbum dixerim. Varii à Medicis distinguuntur vertiginis gradus. Levior illa, quæ à causa externa: gravior, quæ à causa interna, præsertim cum casu, & visus caligatione contingit; in senibusque maximè cavenda. Unde (ut respondeam Vindici, qui exemplum vertiginis mihi opposuit) pro modo, & gradu vertiginis consulam ut advocetur, aut non advocetur Medicus.

61 Nec mihi hic casus peregrinus est. Socium quendam Theologiae Lectorem habui in hoc Collegio, qui sæpè ab aliquot annis vertigine tentabatur. Varia varii Medicis adhibuerunt remedia; omnia frustra: denique Medicus quidam, qui in arte exercenda consenserat, ab ipso consultus, asserens pronum à vertigine ad mortem transitum esse, misérum penè terrorē panico confecit, quamquam & curationem radicalem promisit; quasi id in manu haberet (ò temeritatis plena promissa!) cum adhuc inter Auctores controvertatur, quibus ex causis vertigo ortum habeat, & ignorata causa nequeat curatio radicalis institui. Ego ut agnoscebam malum leve esse, & à terrore inducto, si curatio non succederet, quod abs dubio prævidebam; in viro meticuloz animi augendum: contra restiti, efficaciter ostendens expertem omnino periculi esse morbum: sic animo erectus, ab omni dein medicamento abstinuit, & melius habuit. Decimus septimus annus vertitur, ex quo hoc consilium præbui, Monachus vivit, & valet.

62 Et ut desinat Vindex spectrum periculi irregularitatis mihi ob oculos ponere, sciat me in hujusmodi levibus, & plerumque (utpote ortis ex vitio temperamenti) recurrentibus morbculis, særissimè patientes ab usu medicamentorum dehortatum esse; nemo tamen unquam peri-

ricitatus est. Imò non pauci mihi gratias retulerunt, eo quod post acceptum consilium minus (utique non fractis frequenti usu remediorum viribus) vexati fuerint. Vetusissimum est illud:

*Curando fieri quædam majora videmus  
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.*

#### §. XIV.

63 **V**erum, ut nihil dissimilem, alias scrupulus purgandus mihi superest. An nempe ipsa diffidenzia, quam generatim erga Medicos induco, exitialis esse possit? Hanc accusationem ingeminat Vindex. Hanc alii priùs intentarunt, exemplis etiam adjectis aliquorum, qui ex lectione *Theatri Critici* nimium sibi à Medicorum erroribus carentes, morbo oppresi, Medicum, aut serò, aut coacti, aut nullo modo admiserunt. Nihilominus hæc exempla nihil probant: si enim modum excesserint, non mihi imputandum. Praeterea quid inde mali accidit? An aliquis eorum, qui Medicæ arti (qualis majori ex parte in officiosis, & tumultuariis istis Professoribus extat) vale dixerunt, fato cessit? non abnuo. An ideo quia Medico destitutus, occubuit? Uædenam, aut quonam Numine revelante scimus non moritum, etiam operam præstante Medico? Nec si concedamus properanti fato Medicinam obsistere potuisse, contra nos aliquid evincitur. Potuit forsitan, dicent Medicis, ille unus, qui perit ope Medicinæ servari. Forsitan, dicam ego, viginti alii (alias perituri in manibus Medicorum vulgarium) servati sunt quia Medicinam respuerunt. Exeat iterum in Scenam Cardanus: *Complures ab indoctis Medicis longe occiduntur, alioquin viciuri: quam morituri ab Eruditis salveniur.* Si hoc ita est:

*Claudite jam Parcæ nimium reserata sepulchra.*

64 Gloriantur sæpè Medici isti gregarii de curatione ægrotorum, quos invisunt. Miraculum artis prædicant, si quis gravissimè laborans sanitatem tandem consequutus est, quasi ipsum ab orco revocaverint. Immerito hæc: non enim sciunt, nec scire valent, manu ne dante natura, an eo-

eorum fortè amethoda medicina restitutus sit æger. Id testatur dilucidè Celsus : *Siquidem in morbis cum multum fortuna conferat, eademque sæpè salutaria, sæpè vana sint; potest dubitari secunda valetudo medicinæ, an corporis beneficio contigerit* ( lib. 7. in Proœmio ). Sicut etiam ex adverso immerito plerumque Medici , etiam doctissimi , homicidii accusantur. Aequè in incerto est , an Medicus occiderit eum qui perit , ac an servaverit eum qui convalescit. Præclare Doctissimus Gaspar à Reyes : *Quotusquisque est ( inquit ) qui novit ægro mortuo , aut restituto , utrum casu , naturæ vi , aut consilio acciderit* ( quæst. 21. n. 13. ). Id certissimum est : ad quascumque angustias devenerit æger , nunquam certum fiet , eum ope medicinæ restitutum esse; Pejus habent profectò illi , quos Medici pro deploratis relinquent ; & tamen aliqui ex his beneficio naturæ salvantur. Id etiam agnovit Celsus loco allegato , his verbis : *Sicut in oculis quoque deprehendi potest ; qui à Medicis diu vexati , sine his interdum sanescunt.* Rectè proinde Au-  
sonius :

*Languentem Caium moriturum dixerat ægrum  
Eunomus ; evasit fati ope , non Medicis.*

### §. X V.

65 CUM viderimus quam innoxia sit diffidentia erga Medicos , non illos paucos eruditos , & expertos ; sed quales passim per vicos , & plateas inveniuntur : notandum nunc , quod nimia confidentia in his periculosissima est. Salutem animæ , quæ multo pretiosior est quam corporis , sæpè perdidit hæc ipsa confidentia , pro qua exigenda rudiores Medici efficaciùs pugnant. Quot ( prob dolor ! ) infirmi sine Sacramentis , sine expiacione peccatorum deceserunt , quia fidem adhibuerunt Medico salutem certam pollicenti ! O quoties infirmus sibi periculi conscientius , Sacramenta petiit , ex adverso reclamante Medico , nihil timendum , & morbum levissimum esse , imò prohibente quandoque vocari Confessarium : ut proinde ( ductis assitentibus illa regula toties à Medicis inculcata : *Unicuique in*

*in sua Arte credendum est* ) denegata sit confessio , & miser æger sine Sacramentali expiatione extremum diem obierit ! O infelicem ægrum ! sed ó infeliciorem Medicastrum , qui , ut reus homicidii , non modò corporis , sed ( quod longe pejus ) etiam animæ tuorum proximorum , comparituru-  
rus es in supremo judicio ! Nunquam ubi sapiens , & incertitudinis suæ artis conscientius Medicus aderat , has strages vi-  
di ; imò nec ubi nullus prorsus Medicus aderat. Ubi nullus certæ sanitatis promissor adstat , si infirmitas aliquantulum urgeat , nullus est æger , nisi delirus , qui vel sponte sua Sa-  
cramenta non petat , vel levi Parochi admonitione intercede-  
nte , non admittat.

66 Procul ergo à me sit omnis Medicus infallibilitatis suæ artis ostentator. Illum semper quæram , qui incertitudinem , & cognoscat , & fateatur : illum , qui sapienter cum peritissimo Palinuro semper diffidens , illas prudentiæ plena-  
nas voces effundat :

*Me ne Salis placidi vultum , fluctusque quietos  
Igorare jubes ? me ne huic confidere monstro ?  
Æneam credam quid enim fallacibus Austris ?*

*Et Cæli toties deceptus fraude sereni ?*

Quid me rogas Vindex ? Quid speras , ut mutem meam de incertitudine Medicinæ sententiam ? quamvis invincibilia argumenta pro ea mihi non suppeterent , non ne stolidus essem , si potius tibi , quam tuo Hippocrati , & tuo Galeno crederem ? En Hippocratem tibi contradicentem : *Medicinam cito dicere non est possibile : propterea quod impossibile sit certam ac statam doctrinam in ipsa fieri* ( Lib. de Locis in homine ). En Galenum fermè in compendium redigentem quidquid in mea Crisi Medica dixi ? *Vera ratio non facile invenitur , quod multitudo Sectarum , & opinionum in Arte ostendit Medicinali : neque enim si veritas esset inveniu facilis , tot , ac tanti viri , qui illam perquisierunt , unquam fuissent in tam contrarias Sectas dispartiti ; nam ut verum fatear , hæc difficilis est , & ferme inexplorata* ( In expos. primi Aphorismi Hippocr. ). Id ipsum vividius pos-  
terior Hippocrate , & anterior Galeno Celsus ostendit , di-  
cens :

cens: *Nihil adeo in Medicina certum est, quam nihil certum* (Apud Gasp. à Reyes, quæst. 67. num. 25.). Id ipsum quot quot vidi in arte præstantes planissimè fatentur.

### §. XVI.

67 **G**ratulor de Sanctorum Medicorum cathalogo ad finem adjecto. Nec mihi gratum fuit in eo magnum Basilium prætermissum. O utinam omnes Medici digni sint, qui Cælicolis adscribantur! Verum in aliquibus id optandum potius, quam sperandum. Non diffiteor Medicinæ Professores plerumque honestos esse, & probos viros. Imò id aperte in mea Crisi Medica fassus sum. Quapropter horreo, & detestor maledicentiam conciliatoris (Petri de Apono) sic Medicum definientis: *Medicus est invidæ pelagus, inexhaustum detractioñis organum, indefessæ ambitionis perforata clepsydra, alienæ veritatis garrulus contradictor, propriæ ignorantie constantissimus inconfessor, & inexcusabilis ægrorum neglector. Execrabilem, & flammis dignam existimo illam Medicorum descriptionem à Cardano traditam: Sunt enim improbi ferè omnes nostra ætate, adeo ut nihil pejus excogitari possit, præstaretque nullos esse, quam hujusmodi, quales nunc sunt, feruntque, jam multis annis, summè avari, ambitiosi, imperiti, crudelis, maligni, mendaces, impudentes, stulti, impii* (Com. in 5. prog. textu 44.). Hæc omnia de improbis, & insciis Medicis intelligenda velim, sicut & ipsi præcitatí absudio voluerunt.

68 Verum uti hæc falsa sunt, & horrenda dictu, falsum pariter est, nullum esse in Medicorum gremio, qui probus, qui pius, qui sanctus non sit. Propterea iniquè probris vexat me Vindex, detractorem insimulans, quod asseruerim paucos aliquot (nullo designato) non satis ad normam legis, & honestatis agere. An sanctior est Medicorum cœtus strictissimo quolibet Ordine Monastico? In hoc vero aliqui, nullo diffidente, sunt, qui à disciplinæ sanctitate, & regulæ præscripto deviant.

69 Vale jam, charissime Vindex, & hæc mea responsio de-

deserviat pro apologemate adversus illam scriptorum pro Medicina decertantium prodigiosam illuviem; in qua videtur illud ipsum initum contra me inter Medicos consilium, quod olim inter Centauros contra invulnerabilem Cœneum:

*Sylva prema fauces, & erit pro vulnere pondus.*

Ut nempe multitudine Voluminum suffocarent, si ratione vincere non possent. Sed ecce qui spectaculo adsunt, nulli partium addicti, ovantes pro me clamant:

*Tela retusa cadunt: manet imperfossus ab omni.*

O. S. C. S. R. E.

¶ La traducción de esta Apología en Castellano se dardá en el tercer Tomo.